

V. R. EXCELLENTISSIME,

Pater Honoratissime,

De Josepho quaedam ex praecepto Tuo non sine delectatione meditatus sum, in quibus quantum veritati consentanea scripserim exinde quidem metiat, quantum T. B. J. vera esse videbuntur. Credo enim in istis rebus nisi accesserit experientia, facile nos fallere atque ludi ab ingenio nostro, ut ea quorum probabilem aliquam rationem habemus, vere ita comparata esse nobis persuadeamus. Fateor ceterum, quanquam non dubium sit, singulari Josephum in omnibus rebus divina providentia adiutum esse, me ita tantum eius indolem considerasse, ut magno

280v

rum hominum ingenium ac mores considerare sole-  
mus. Quum enim ista omnia, quae naturalibus ca-  
usis in homine sunt, tamen tribuantur etiam  
deo eiusque providentiae, neque horum, quorum in  
se ipso causas habebat sufficientes rationem ali-  
unde peti debere existimarem, praesertim cum  
fieri non possit, ut definiamus, quid naturae quid  
opi divinae tribuendum sit: tutissimum mihi ri-  
sum est, omnia ex natura eius petere, et id  
solum sapientissimae divini numinis providen-  
tiae tribuere, ut forma veritatis tanti hominis in-  
genium, ei, cui eum destinaverat, fini apti-  
simum, atque ita ea, quae in ceterorum homi-  
num consuetudine ab arbitrio nostro non pen-  
dent ita disposuerit, ut et augerent bonitatem  
naturae et darent animo eius campum ali-  
quem, in quo maxime virtus eius posset efful-  
gere. Ceterum quod T. T. B. J. mitto ex Electra  
Sophoclis specimen, Pater Dilectissime, ita se

habet. Dixit mihi celeberrimus vir, Gottschedius,  
 in animo sibi esse, facere versionem aliquam poe-  
 ticas Aristotelis, eamque suis illustrare medita-  
 tionibus; Sed cupere se addere quoddam ex vete-  
 ribus exemplum; proposuitque mihi ut Sophoclis  
 Electram in vernaculam linguam verterem. Tamen  
 alio me tempore antea inter sermones iniecissem men-  
 tionem, tentasse me aliquando versionem eius pro-  
 saicam, usui atque exercitio meo, eandem vero  
 postea omisisse. Sed voluit versionem poeticam,  
 quanquam sine rythmis eam ut faceremhorta-  
 tus est. Postquam, ut tentarem saltem, victus sum,  
 nolui tamen versibus istis rythmorum dulcedi-  
 ne destitutis tentare. Equidem scio, pater dile-  
 ctissime, multa resistere, quibus quo minus  
 eam perficiam possim auocari: tamen videtur  
 mihi non aspernandum, et sub auspicii magni  
 viri prodire, meosque labores eius vigilationibus

coniungi, et quae contra eos quibus poseos studium curae est inualuisse videtur opinio, negi-  
 gi ab iis antiquitatis studia, eam a me declina-  
 re, et vtilem esse fortasse litteris, si Graeci  
 scriptoris, nomine quidem notissimi, ceterum a  
 paucissimis litterarum cultoribus adcuratius co-  
 gniti, quaedam in lucem producere, quae ut  
 Graecas litteras diligentius colant, alios possint  
 imitare. Non possum abstinere, Pater ai-  
 lectissime, quin, nisi aliter TSSJ ista videban-  
 tur, petam abs T&E, ut perficere eam versionem  
 mihi liceat. Ita tamen, ut si aliter videban-  
 tur eodem animo obsequi TSSJ sim para-  
 tissimus, semper futurus

Pater Honoratissime

TSSJ

Lipsiae  
 d. 22. Mart.  
 1786.

obsequentissimus filius  
 Joannes Elias Schlegelius